

adeo viciniam illorum periculofam fore Ifraëlitis, hos verò idololatriæ fuæ pertinaciter inhæfuros. Unde & animos eorum emollivit: at cui bono? nifi pacem petentibus pacem ac salutem concedere licuiffet. Quare etfi inconfideratum fuiffe hoc juramentum non diffiteamur, nullum tamen fuiffe, veluti de re illicita præftitum, quatenus ad salutem modo & incolumitatem pertinebat, nondum evictum eft. Quæ Barbeyracius de ratihabitione divina differit, ingeniofe quidem excogitata funt, fed meris nituntur conjecturis, quæ cum alterius partis rationibus collatæ speciem veri vix retinebunt.

COROLLARIA.

I.

Ad juramenta de re illicita referendus eft etiam anathematismus ille, quo fe devoverunt atque in perniciem Pauli conjurarunt 40. Judai. Act. XXIII. 12. 13.

II.

Non videtur nobis jusjurandum, quo ufus eft Jofephus Gen. XLII. 15. 16. fed vehementior tantum & comparativa afseveratio. Idem sentiendum de formula 2. Sam. XIV. 19.

III.

Neque juravit Paulus 1. Tim. V. 21. fed obteftatione, ufus eft: ficut nec Cant. II. 7. juramentum eft, fed obteftatio qua, uti loquitur B. Thummius, Ecclefia creaturas ardentis fui affectus in Christum testes vocat.

F I N I S.